

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0412

0410

0416

0406

0421

0401

0461

0361

0511

0311

0911

Ende

Anfang

398

Decime octavo desertum est locus mannae et divinae consolationis; Psalmus: Pluit illis manna ad manducandum; et Exodi XVI. Et hodie ros cadens per circuitum montis Synai est manna dulcissimum, de quo ego multum vidi et manducavi.

Decimo nono desertum est locus poenitentiae et fugae saeculi. Sic sancti patres poenitere volentes desertum intraverunt, mundumque fugerunt.

Vicesimo eremus ille est locus devotionis et contemplationis. Unde Psalmus: In terra deserta, invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi etc. Et iterum: Dixi, quis dabit mihi sennas sicut columba, et volabo et requiescam. Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine, exspectabam eum etc. Et tantum dixisse sufficiat de solitudinis notificatione. In sequentibus experientia adhuc alia docebit. Vide etiam de deserto hoc infra fol. 136. B. et consequenter.

De Arabibus habitatoribus deserti et de eorum  
moribus et insolentiis et miseriis eorum.

(25a) Deserti vel solitudinis inhabitatores sunt Arabes, miserrimi et bestiales homines, quos nonnulli Ismaelitas esse dicunt, et Agarenos, qui se Sarracenos nominant. Alii eos nominant a proxima provincia, dicentes eos Madianitas. Alii eos Beduinos appellant. Alii eos Zigeros e Chaldaea emersos vocant, quae a septentrione haeret Arabiae desertae magnae. Alii eos ex Aegypto fusos affirmant, ut Diodorus Libr. II. veterum historiarum. Dicit enim, quod Actianes, qui Aegypti rex summa aequitate imperans latrocinia novo more compescuit, sontes neque morte plectens, neque linquens impunitos, unde omnes reos in unum cogens miti sententia damnavit; amputatis enim naribus in deserta loca ire compulit, ne suis moribus vicinas gentes inficerent, nieve eorum erga reliquos injuriae essent occultae, sed ut tamquam in oram deserti relegati omni re egentes cogente necessitate sibi victim exquirerent. Communiter tamen a tota regione dicuntur Arabes. Hi incertis sedibus huc atque illuc semper vagantur per desertum hoc, armati clipeis et hastis, non quidem ut pugnant, quia seminudi sunt, sed ut spolient. Quae suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat,

